



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 56. Gauselinus Archiepiscopus Bituricensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Nos opera Sacrarum Scripturarum per-
venire ad cognitionem S. Trinitatis, im-
primis Filii Dei, per quem & in quo es-
sent omnia, quæ sunt. Deinde progred-
ditur ad Incarnationem, cuius finis fuisset,
in Homine Dei Imaginem per peccatum
deletam reparare, & tandem ostendit,
Sanctorum meritum in hoc solo esse
positum, quod Jesu Christo per
Fidem & Charitatem adhæserint.

Sæculum XI.
A.C. 1022.

§. LVI.

Gauslinus Archiepiscopus Bituricensis.

Sub idem tempus in Aquitania, qua ma-
ri alluitur, portentum inauditum
mortales exterruit. Triduo ante Fe-
stum S. Joannis de Cælo imber sangui-
neus ruit, qui nulla ratione abstergi po-
terat, si in nudam hominis carnem, in
pannum, vel in saxum incidisset, si vero
in lignum, facili negotio abluebatur.
Guilielmus Dux Aquitaniæ rem Regi
Roberto perscripsit, in eadem epistola
rogans, ut viros sapientes Regni sui con-
suleret, quod omen ex tanto prodigio ca-
piendum esset. Rex datis ad Gausli-
num, fratrem suum, ex Patris amica na-
tum, Archiepiscopum Bituricensem, li-
teris rogavit, ut cito sibi rescriberet, an
in superiorum temporum annalibus simi-
le prodigium literis mandatum reperire-
tur, & quid portendisset.

*Fragm. Du-
chesn. to. 4.
p. 86.*

*Ap. Fulb.
ep. 95.*

Respon-

Sæculum XI. Respondens Regi Archiepiscopus com-
 A.C. 1022. plura similia prodigia ex Veterum Histo-
 riis affert, & ultimo portento mysticas
 ep. 96. significationes tribuit. Fulbertus quo-
 que Episcopus Carnutensis, accepta Regis
 ep. 95. epistola, respondens unicum locum am-
 p. 90. plissimum ex Gregorio Turonensi refert,
 cum simili explicatione; unde dispici-
 tur, illa ætate neminem in dubium re-
 vocasse, quin ejusmodi rari eventus ali-
 quid ex cœlesti ordinatione portende-
 rent.

Gauslinus, Archiepiscopus Bituricen-
 sis, filius Regis Hugonis Capeti, ex pel-
 lice genitus, a puero monasterii S. Bene-
 dicti ad Ligerim alumnus, & Discipulus
 fuit doctissimi Abbonis; quo defun-
 cto Robertus Rex fratri hanc Abba-
 tiam contulit, nequicquam repugnantibus
 monachis, eum ob natalium macu-
 lam recipere nolentibus. Mortuo Da-
 berto Archiepiscopo Bituricensi Rex
 Gauslinum ad eam quoque Dignitatem
 anno millesimo decimo tertio evexit,
 populo Bituricensi per integrum quin-
 quennium reluctante, & una voce cla-
 mante, filium meretricis Ecclesiam rege-
 re non debere. Tandem vero, S. Odi-
 lone Abbate Cluniacensi animos concii-
 liante, omnes Regis voluntati obtempe-
 rarunt. Gauslinus in Sedem Bituri-
 censem receptus, eam usque ad obi-
 tum

Adem. Chro.
 p. 172.

tum suum anno millesimo trigesimo te-
nuit. Sæculum XI.
A. C. 1022.

§. LVII.

Fulbertus Episcopus Carnutensis.

Fulbertum Episcopum Carnutensem nec
illustres natales, nec opes commen-
dabant. Ipse in suis Scriptis, Romanum
patria se fuisse, prodere videtur. Opti-
mos Præceptores sortitus a puero ita in
literis profecit, ut in virili postea ætate
inter maximos sui Sæculi Doctores non
postremo loco haberetur. Diu Carnuti
scientias docuit, & illius Ecclesiæ Can-
cellarius fuit. Ex aliquibus Epistolarum
ipsum videmus, Medicum fuisse peritum,
& potiones salutare ægrotantibus por-
rexisset, at, suscepto Episcopatu, nemini
amplius medicinam præbuisse. Cum
igitur Fulbertum Reges, Episcopi, popu-
lique, magni facerent, Episcopus Carnu-
tensis electus est, licet esset juvenis, mor-
tuo Rudolpho, anno millesimo septimo.
Etiamnum in vivis agebat Fulco Episco-
pus Aurelianensis, cui Fulbertus, data
epistola solatium suggerere conatus est,
deflens Regis Roberti ignaviam, qui se
sapius ab improbis decipi passus, non
eo, quo par erat, vigore Jus diceret.

Hortabatur, ut Abbatem Floriacen-
sem ad obedientiam secundum Canones
sibi præstandam compelleret, atque
etiam

*Carm. p. 179.**ep. 2. fol. 12.
& 15.**vid. Mabill.
Sæc. 6. p.
254. n. 3.
epist. 41.**ep. 73.*